

ligionis a qua transfertur, vel ejus ad quam transit. Et quidem si omnium utilitas concurrat, erit consummatissima causa, ut si religiosus sit utilis religioni ad quam tendit; et alteri, a qua redit, potius sit onerosus, quia forte non est utilis ad ministeria ejus, et est aptus ad canendum in choro, quod alia religio magis proficitur; et ipsi etiam religioso speratur fore utilius in eo vitæ genere occupari, licet alioqui ex suo genere minus austerum aut perfectum sit.

22. *An sufficiat solius translati utilitas.*—Quando autem hæc omnia simul concurrere non possunt, primum regulariter considerandum est spirituale commodum religiosi; quacumque enim ratione prudenter speretur futurum esse majus, sufficit ad justam causam dispensationis, quia per religiosam vitam est hoc per se primo ac proxime intentum, et ideo D. Thomas, dict. q. 189, a. 8, hanc fere posuit ut unicam causam hujus dispensationis. Significat autem necessarium esse, ut procedat *ex infirmitate vel debilitate personæ*. Intelligendum autem existimo de infirmitate et debilitate, non tantum corporis, sed etiam animi, quia providentia Prælati utrique debet providere, et ad majus Dei obsequium attendere. Ita etiam interdum expedit, quando experientia docuit non solum ex pura malitia, vel pravo habitu, sed veluti ex innata conditione habere aliquem quamdam ineptitudinem ad talem statum, vel ingentem difficultatem in portandis oneribus ejus, quam ante professionem satis prospectam non habuit. Ad quod etiam juvare potest emisisse professionem in tenera ætate, quia solet multum postea natura mutari, vel certe dignosci. Addi etiam potest, si sufficiat dispensatio Prælati circa onera religionis, non esse facile procedendum ad dispensandum in transitu, nisi vel illemet modus vivendi cum dispensationibus, aliis odiosus sit, vel ipsimet religioso nimis molestus, nam hoc ipsum multum impedire solet spirituales profectum, qui semper præ oculis habendus est. Unde quando intercedit hæc ratio majoris boni spiritualis ipsius religiosi, non obstat etiamsi aliquod onus, vel incommodum monasterii intercedat; nam si loquamur de monasterio ad quod fit transitus, nihil hujusmodi in eo consideratur, quia voluntarie est admissurum talem personam; hanc enim conditionem omnia jura et Indulta imprimis postulant, et ideo ipsa religio debet sibi consulere, et de utilitate, vel onere personæ ju-

dicare; qualiscumque enim illa sit, volenti non fit injuria, et ideo ex hac parte non potest dispensatio esse injusta. Nisi per illam cogere alia religio talem personam suscipere, quod solus Pontifex de plenitudine potestatis facere potest; ordinarie autem non facit, neque expedit fieri, sine gravissima causa. Respectu autem religionis a qua receditur, non consideratur incommodum ejus, quia illud ad summum esse potest in re temporali vel externa: tenetur autem ipsa religio magis procurare spirituale bonum religiosi, quam hujusmodi commodum suum. Præterquam quod, simpliciter loquendo, vix potest esse commodum religioni habere intra se religiosum, qui juxta statum et perfectionem ejus non possit perfecte vivere.

23. *Quid quando intervenit solum commodum religionis unde fit transitus.*—Aliquando vero contingit transitum non esse in majorem utilitatem spiritualem religiosi, cedere tamen in utilitatem religionis a qua fit transitus, et tunc vix potest causa esse rationalis; aliquando tamen esse poterit, si multa concurrant. Primum est, ut ipsa persona religiosa saltem non exponatur periculo morali detrimenti spiritualis, quia hoc repugnat professioni et obligationi ejus, et ordini charitatis; oportet ergo ut, licet major profectus non speretur, saltem non timeatur defectus alicujus momenti, quod facile sperari poterit, si persona sit adeo religiosa, ut plus soleat operari, quam ex obligatione regulæ teneatur. Deinde necessarium est, moraliter loquendo, ut religio, a qua recedendum est, cedat juri suo, quod habet maximum, quando transitus non est necessarius propter ipsum religiosum; nam si ipsimet religioni commodum est, talem religiosum dimittere, quia licet sit probus, non tamen est sibi utilis, vel ad suum finem accommodatus, oportet ut ipsamet religio hujusmodi utilitatem cognoscat, et velit, quia non fit beneficium invito, maxime cum diminutione suorum bonorum.

24. *Quid quando est commodum tantum religionis ad quam transitur.*—Si autem utilitas est tantum alterius monasterii ad quem fit transitus, multo magis est necessarius consensus proprii monasterii, quia non potest unus ditari ex bonis alterius illo invito. Atque hoc procedit non solum in transitu ad laxiorem, sed etiam ad æqualem religionem, nam procedit eadem ratio. Imo existimo in hujusmodi casibus, quando causa non ex parte religiosi, sed ex parte alterius religionis con-

sideratur, solum Pontificem posse dare hujusmodi dispensationem, præsertim si transitus sit ad laxiorem, et illa causa est valde extrinseca ad obligationem voti, pertinetque ad Prælatum habentem superiorem providentiam et gubernationem utriusque religionis. Unde tunc etiam magis urgent omnes rationes in superioribus factæ. Præter has causas possunt aliæ excogitari extrinsecæ et accidentariæ, ut sunt necessitas subveniendi parentibus, si possit naturalis illa obligatio impleri in religione minus stricta quam sit propria. Item, si quis patiatur injustissimam persecutionem, et similes, quas omitto, quia generales sunt, et tot modis variari possunt, ut interdum etiam liceat in seculo ob similem causam remanere cum debita facultate.

CAPUT XII.

AN, SPECTATO JURE PARTICULARI SEU INDULTIS RELIGIONUM, LICEAT TRANSITUS AD ALTERAM RELIGIONEM.

1. *Proponuntur Indulta, ac primum vetans recipere alienos religiosos.*—Ultimo pro tertio principali, quod initio cap. 8 proponebatur, dicendum est, in unaquaque religione, præter jus commune, spectanda esse specialia privilegia et Indulta, et illa esse servanda. Declaratur, nam multa emanarunt Apostolica Indulta in favorem religionum, quibus hic transitus prohibitus est, vel simpliciter, vel cum aliqua limitatione; et imprimis Pius V, sua constitutione 91, *Quacumque*, videtur generaliter hunc transitum prohibere sine licentia a Superioribus obtenta; nam prohibet ne volentes transire recipiantur, etiamsi laxiorem professi fuerint. Verumtamen in illa constitutione solum irritantur privilegia concessa religionibus, aut quibuscumque piis locis aut Prælatibus, etc., præter juris communis dispositionem emanata, recipiendi hujusmodi religiosos, et consequenter irritat quidquid virtute talium privilegiorum, facultatum aut dispensationum factum fuerit. Imo etiam, quod mirandum est, etiam præcipit Pontifex ut, qui autea fuerant translati virtute talium facultatum, ad proprias religiones redeant. Quod dico esse mirandum, quia professiones antea factæ erant validæ, quia etiam facultates et privilegia valida fuerant, donec ab ipso Pio irritata fuere; quomodo ergo potuerunt illi religiosi revocari ad suas pristinas religiones? Dicendum vero est, Pontificem

imprimis potuisse id facere, quia, licet professionem semel validam non possit in totum, seu quoad substantiam irritare, tamen prout ad hanc vel illam religionem determinatur, potest eam irritare seu mutare, etiam invito religioso, vel religione, quia hoc totum pendet ex jure humano. In eo ergo casu credendum est interfuisse legitimam causam id faciendi, propter majus commune bonum et quietem, seu pacem religiosorum; nam multi fortasse eo titulo religiosum statum indigne tractabant, ut in principio illius constitutionis significatur. Ex vi ergo illius Indulti, nihil circa jus commune immutatum est, ut benotavit Navarrus, cons. 88, de Regularibus. Quocirca translati alio titulo, vel secundum commune jus, sive ante illam constitutionem, sive post, non prohibentur refineri aut recipi. Ubi etiam considerandum est, aliud esse loqui de privilegiis datis ad recipiendum alienos religiosos, et aliud de privilegiis datis, ne proprii religiosi ab aliis recipi possint, sine superiorum licentia. Priora enim privilegia sunt exorbitantia jure communi, suntque odiosa aliis religionibus; possunt enim inter eas scandala et dissensiones generari, ac denique facile possunt in occasionem relaxationis et inconstantia perverti, et ideo merito revocata fuere. Alia vero privilegia favorabilia sunt, quia directe consulunt immunitati, et quieti ejus religionis cui conceduntur, et aliis non nocent, sed solum vetant ne cum alterius detrimento velint proficere, quod est maxime consentaneum charitati; et ideo talia privilegia revocata non sunt, sed potius in variis religionibus multiplicata, quæ ab aliis observanda sunt, dummodo de illis constet.

2. *Proponuntur Indulta Societatis vetantia transitum ad quamcumque aliam religionem, præter Carthusiam, absque licentia obtenta.*—Exemplum sit de privilegio Societati concesso, ut nullus in ea professus, vel per tria vota substantialia admissus, possit ad aliam religionem (Carthusia excepta) transire, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, tam a transeuntibus, quam a recipientibus ipsos, prætextu cujusvis Indulti concessi aut concedendi, etiam quæsito colore ob frugem melioris vitæ aut strictioris observantiæ, quodque secus facta non teneant. Habetur in litteris Apostolicis ejusdem Societatis, in Bulla ultima Pauli III, *Licet debitum*, § *Ac inhibemus*, etc., et in Bulla prima Pii V, *Æquum reputamus*, in principio, ubi expendit et con-

firmat concessionem illam, quam Pius IV jam fecerat. Idemque Pius V, vivæ vocis oraculo, Carthusiæ limitationem ita limitavit, ut transitus ad illam semel tantum fieri possit; quod si in ea usque ad professionem non perseveret translatus, ad Societatem redeat, et amplius ad Carthusianos transire non possit in vita Societate; quam limitationem confirmavit, et sub eadem censura obligare declaravit Gregorius XIII, in speciali Bulla de hac re *Dilecte fili*, etc. Et aliæ circumstantiæ in illis privilegiis declarantur, quæ ad modum servandum in hoc transitu pertinent, quas in sequentibus, quantum ad generalem doctrinam pro hujus loci opportunitate utile fuerit, attingemus. Ex dictis vero constat in hac religione hoc jure standum esse, quantum ad transitum ab illa, nam ad illam nullus fieri potest juxta suas constitutiones, ut suo loco, tract. 10, lib. 2, c. 4, videbimus. Ad eundem ergo modum dicendum est de singulis religionibus respective, juxta sua privilegia vel Indulta.

Primum dubium circa prædicta Indulta, an velent transitum sine licentia obtenta, etiam ad religionem strictiorem.

3. *Primum argumentum pro parte negante.* — Dubitari autem potest primo, an per similia Indulta prohibeatur transitus ad perfectionem religionem, sine consensu Prælati; et ratio dubitandi est primo, quia non videtur Pontifex posse tale privilegium concedere, quia non potest obligare aliquem ut servet quod non promisit; sed nullus, qui profitetur religionem, promittit perseverantiam in illa respectu melioris, id est, non transire ad meliora; ergo non potest ad hoc cogi per tale privilegium. Minor patet, quia in professione includitur conditio seu exceptio melioris frugis, ut diximus. Unde illa negatio transitus nullo modo dici potest comprehensa sub voto obedientiæ directe vel indirecte, ut ea ratione ad illam possit quis cogi; nam est extra totam regulam, et quasi intrinseca limitatio omnis voti obedientiæ. Dices, ex vi talis Indulti fieri, ut in illa religione professio, vel incorporatio non fiat sub ea conditione, sed renuntiando illi, vel potius sub conditione opposita. Quia promissio seu votum obedientiæ fit juxta constitutiones et litteras Apostolicas; litteræ autem Apostolicæ excludunt illam conditionem, et ponunt oppositam. Sed contra hoc insto, quia videtur contra rationem excludere; ut si Ecclesia ordinaret, quod a contractu

matrimonii rati excluderetur conditio seu libertas transeundi ad meliorem frugem ante consummationem, non esset conveniens institutio, utpote impediens majus bonum; ergo similiter in præsentis ita ligare hominem inferiori religioni, ut privetur libertate ascendendi ad perfectiorem statum, videtur esse impedimentum majoris boni spiritualis; non est ergo licitum, imo nec videtur cadere sub Ecclesiæ potestate.

4. *Secundum argumentum.* — Secundo argumentor ex cap. *Licet*, de Regular., ubi Innocentius III refert privilegia aliquibus religionibus concessa, *ne postquam aliquis apud ipsos professus fuerit, ad alium locum possit ipsis invitis arctioris etiam religionis obtentu transire*; et tamen postea ita illa interpretatur, ut, illis non obstantibus, possit hic transitus fieri petita licentia et non obtenta; sed in privilegiis specialibus religionum non plus conceditur, quam quod ibi Innocentius refert, ut, exempli gratia, videre licet in prædictis Indultis Societatis; ergo, illis non obstantibus, eadem semper declaratio admittenda est; patet consequentia, quia privilegia, quantum fieri possit, secundum jus declaranda sunt. Maxime vero quia Innocentius indicat declarationem illam esse secundum jus divinum et naturale, *quia ubi spiritus Domini, ibi libertas*; et: *Qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege*; quæ ad hoc propositum ibi adducit Innocentius, ut concludat tale privilegium non dari ut licentia denegetur, sed ut prudenter res agatur. Unde talem indicat rationem, quia vel Prælati confisus tali privilegio negat facultatem, cum rationabili causa, vel sine illa. In priori casu, etiam jure communi, non habet subditus jus transeundi, quia non est certum religionem esse meliorem; in posteriori autem casu, abutitur privilegio suo Prælati, et ideo meretur illud amittere, ut ibidem ait Innocentius, et ex vi illius sui decreti ipso facto illud amittit quantum ad hunc effectum, et subditus habet jus transeundi ex vi illius decreti. Quod non est revocatum quoad hanc partem per dicta privilegia.

5. *Resolutio bipartita.* — Nihilominus certissimum est posse Pontificem eo sensu talia privilegia concedere, ut absolute non liceat ad aliam religionem transire sine licentia obtenta, etiam titulo majoris perfectionis, certumque est de facto ita esse concessum in dictis Indultis Societatis, et idem erit de aliis, si per similia æquipollentia verba con-

cessa fuerint. Probatur primo ita esse factum, quia in Bulla Pii IV et V in particulari subjungitur, non obstante dicto cap. *Licet*, ad excludendum nimirum declarationem vel limitationem in illo factam; nam quoad hoc derogatum est. Secundo probatur, quia expresse postulatur ibi *licentia obtenta*, in quod verbum non potest cadere illa declaratio, nisi quis forte exponat, obtenta de facto, vel de jure, id est, debite et non injuste negata. Sed præterquam hæc evasio excluditur per derogationem dicti c. *Licet*, etiam rejicitur sufficienter per illa verba, *sine expressa licentia*, ut ait Paulus III, vel per illa, *sine expressa, et ad id specialiter obtenta*, ut ait Pius. Tertio, exceptio, quæ de ordine Carthusiensium fit, hoc satis confirmat, quia etiam ad illum non licet transire sine licentia petita, et juxta tenorem cap. *Licet*; ergo aliquid amplius prohibitum est, ex vi hujus Indulti, respectu aliarum religionum, scilicet, ut non fiat sine licentia reipsa obtenta. Quarto ad idem faciunt illa verba Pauli III: *Nisi de expressa ipsius Præpositi, vel dictæ Sedis licentia transferri*, etc. Nam in eis indicatur, si Prælati religionis negaverit facultatem, et subditus contendat injuste negari, non posse statim sua auctoritate propositum suum exequi, sed debere ad Sedem Apostolicam recurrere, nam per tale Indultum illa sibi hoc judicium reservavit.

6. *Ostenditur pars prior, de jure.* — Atque hinc recte colligitur potestas; impium enim esset dicere, talia Indulta esse iniqua, aut sine sufficienti potestate concessa, quia in re adeo gravi, et ad salutem et perfectionem animarum pertinente, non potest Pontifex errare, præsertim cum non tantum unus vel alter, nec semel aut iterum, neque sub aliqua probabilitate, et cum formidine, sed plures, et sanctissimi ac doctissimi Pontifices, et sæpius, multisque religionibus, similia Indulta ex certa et plenaria potestate concesserint; non potest ergo de tali potestate dubitari, cum de facto constet.

7. *Primus modus justificandi Indulta n. 2 relata.* — *Secundus modus.* — *Tertius modus.* — Modus autem explicandi justitiam et rationem hujus facti, in superioribus insinuatus est, et primo dici potest, quando Pontifex hoc Indultum alicui religioni concedit, hoc ipso supponere, non esse inferiorem aliis, quas non excipit, scilicet quatenus est via ad perfectionem; nam, licet in una vel alia conditione possit esse inferior, absolute ac

simpliciter comparata potest judicari non minus apta ad perfectionem assequendam. Certum est enim posse Pontificem hoc judicium ferre, et ad illum maxime pertinere. Non oportet tamen adeo restringere hæc Indulta; nam in majori amplitudine videntur concessa. Secundo ergo potest Pontifex hoc concedere, saltem supponendo rem esse dubiam, an religiones aliæ, vel omnes, vel aliquæ, sint arctiores necne, et reservando sibi judicium in particulari quando licentia postulatur a tali religione, et ipsa non vult eam dare, nec cedere juri suo, et hoc insinuare videtur Paulus III, in verbis citatis. Per sese constat esse justum, quando ex parte religionis, cui privilegium conceditur, est sufficiens fundamentum illius ambiguitatis, ut re vera est in exemplo adducto de Societate, cum quacumque alia religione conferatur, ut infra, tract. 10, lib. 4, cap. 9, ostendemus. Nam, et universaliter loquendo, in quacumque controversia ecclesiastica potest Pontifex judicium sibi reservare, et maxime in his quæ spectant ad approbandum, vel declarandum statum perfectionis, et hoc etiam a fortiori colligitur ex cap. *Licet*, de Regular. Tertio dicitur, etiamsi constet aliam religionem esse perfectiorem, posse Pontificem juste prohibere transitum ad illam sine licentia obtenta; tum quia per hoc non impeditur simpliciter ascensus ad statum perfectiorem, sed prohibetur ne fiat sine maturo consilio, et sine regula voluntatis Prælati; quantumvis enim alia religio sit perfectior, potest mutatio ad illam in individuo non esse conveniens, et ideo hujus rei judicium potest convenienter Prælati reservari, ita ut consensus ejus omnino necessarius sit, eo vel maxime quod semper relinquatur recursus ad Pontificem, si resistentia Prælati injusta reputetur. Quod si ipse etiam Pontifex facultatem neget, temerarius erit, qui velit resistere, et non potius sentire sibi non expedire talem mutationem, etiamsi alia religio perfectior videatur. Tum etiam quia hæc difficultas transeundi potest esse valde conveniens ad commune bonum, et ad stabilitatem singulorum religionum, et ad pacem et unionem religionum inter se, et ideo, licet uni vel alteri possit esse incommoda, illud in morali lege non aestimatur, quæ commune bonum respicit. Præsertim quia, licet transitus ad religionem perfectiorem impediatur, nemo simpliciter impeditur, quominus semper possit esse perfectior; nam in quacumque religione est ad

hunc profectum sufficiens occasio, si homo velit facere quod in se est, et voluntarie adjungere quod in tali statu sub obligatione non imponitur.

8. *Ad primum argumentum in num. 3.*— Unde ad primam rationem dubitandi, præter responsionem ibi insinuatam, dicitur, etiam stante professione, quam diximus fieri cum subintellecta conditione melioris frugis, posse Pontificem illud privilegium concedere, et prohibere transitum, quia, ut diximus, non tam simpliciter prohibet quam præscribit modum ejus, scilicet, ut non fiat sine tali facultate, et ideo potest etiam irritare quidquid sine illa conditione seu solemnitate fit. Neque hoc præceptum excedit jurisdictionem Pontificis, in qua magis quam in voto obedientiæ fundatur, quamvis prærequirat illud ut conditionem necessariam. Supposita enim obligatione quam religiosus habet ad statum perfectionis, eo ipso habet jus Summus Pontifex, sub cujus speciali cura sunt omnes religiosi, ut possit modum præscribere circa perseverantiam, vel mutationem talis status; nam hoc sine dubio est necessarium ad conveniens regimen religionum et singulorum religiosorum.

9. *Prædicta Indulta non deolligant a danda licentia juste petita.*— Ex quibus intelligitur per hujusmodi privilegium non liberari Prælatum religionis ab obligatione dandi licentiam subdito petenti transitum ad aliam religionem, quando et judicaverit aliam religionem esse simpliciter perfectiorem, in quo non debet tantum suo sensu et affectione duci, quia posset facile errare, et esse injuriosus alteri, sed ex receptis sententiis et doctrinis, vel ex sapientum consilio judicium ferre debet. Et præterea, necesse est ut judicet huic subdito suo expedire, seu magis utilem esse talem transitum; debet autem ita sentire, quoties rationes non occurrunt, quæ contrarium suadeant, præter solam mutationem, quia illius incommodum vincitur ex majori perfectione alterius religionis, quando aliud non obstat. His autem concurrentibus injuriam facit Prælatum subdito negando facultatem, et cogendo illum adire Summum Pontificem; nam ipsemet Summus Pontifex, suppositis eisdem conditionibus, non posset licite negare in individuo similem facultatem, per se loquendo, quia non potest impedire viam majoris perfectionis. Semper tamen excipitur necessitas boni communis. Unde si Prælatum religionis negaret talem fa-

cultatem, quia revera credit esse valde nocivam suæ religioni, et ob eam causam illam remitteret Summo Pontifici, nihil, ut existimo, peccaret, imo hunc esse puto unum ex potissimis effectibus talis privilegii.

10. *Expenditur evasio ejusque præclusio in num. 3.*— Unde constat non esse necessariam responsionem positam supra, num. 3, in argumento, quia Pontifex non solum potest concedere, et de facto concedit privilegium pro his qui postea professionem emittunt, sed etiam pro jam professis, ut constat manifeste ex Indultis citatis; Pontifex autem non immutat professionem Deo factam, sed, illa non obstante, vel conditione in illa inclusa, præcipit observari certum modum in ejus assecutione, et aliter fieri prohibet. Cur enim non prohibebit Pontifex aliquid, quod alias ex vi professionis non est prohibitum, quando ratio boni communis id postulat? Adde vero, etiam modum ibi insinuatam non esse impossibilem, nec contrarium rationi, quia, ut dixi, per hanc prohibitionem non tollitur omnino facultas ascendendi ad arcioiorem religionem, sed cum hoc addito, *nisi de consensu Prælati vel Pontificis.* In eodem ergo sensu recte potest quis obligari, ut in ipsa professione renuntiet libertati transeundi, nisi sub hac conditione sic intellecta, nam ille quasi contractus inter religiosum et religionem liber est ex parte religionis, sicut ex parte religiosi; ergo potest religio professionem non acceptare, nisi religiosus se obliget sub tali conditione, quam ostensum est esse honestam. Neque est simile de matrimonio, tum quia status matrimonii est longe inferioris ordinis, et absolute excludens statum perfectionis simpliciter, de quo nunc loquimur; religiones autem conveniunt substantialiter in ratione talis status, et differunt secundum magis et minus; tum etiam quia in matrimonio jus utriusque partis est privatum, in professione autem religiosa ex parte religionis intercedit jus pertinens ad bonum commune, quod majoribus privilegiis gaudet; tum denique quia in matrimonio mutabilitas illa, quæ est in transitu ad religionem ante copulam, non solum est honesta, sed etiam nullam habet speciem indecentiæ aut inconstantia, neque infert scandalum, et non solum in genere, sed in individuo, et regulariter consulendum, ideoque non esset justa lex, vel conditio contractus, quæ ad illum transitum imponeret gravamen expectandi consensum, vel alterius conjugis, vel principis, aut Pon-

tificis, quia esset ponere obstaculum statui perfectionis simpliciter sine justa causa; mutabilitas autem in statu religioso etiam in ordine ad meliorem, regulariter non consulitur, indigetque multis circumstantiis, ut convenienter et sine scandalo fiat; ideoque justa est lex, et conditio, quæ simile gravamen imponit.

11. Dices: ergo, seclusa prohibitione Pontificis, posset religio hanc conditionem ponere profitentibus, ut se obligent ad non transeundum etiam ad perfectiorem, sine suo consensu, vel Pontificis, quia conditio est de se justa, et religio potest pacisci ut voluerit, intra latitudinem justitiæ. Respondeo de facto hoc non posse sine approbatione Pontificis, quia est contra jus commune tale gravamen apponere. Tamen, secluso jure communi, et sola rei natura spectata, non videtur improbabile id admittere, propter rationem factam; tamen, quia id nunquam factum legimus in religionibus sine Pontificio privilegio, ideo simpliciter negatur sequela; et ratio reddi potest, quia, licet illa conditio non sit iniqua, et ideo non potest imponi privata auctoritate; aliquod enim gravamen potest esse justum auctoritate publica impositum, quod in ordine ad auctoritatem privatam esset iniquum. Præsertim quia in religionis statu est magna latitudo et varietas, possetque illa conditio in uno esse justa, et non in alio, et ideo ad Pontificis auctoritatem hoc judicium pertinet. Unde quodammodo spectat ad specialem talis religionis approbationem, et stabilitatem quam Pontifex dare potest; nulla autem religio debet auctoritate sua illam usurpare.

12. *Ad secundum argumentum in num. 4.*— Ad secundam rationem dubitandi negatur non plus concedi per hujusmodi privilegia, quam per antiquiora jura fuerat concessum, saltem prout declarata fuerant ab Innocentio III, nam per hæc posteriora privilegia declaratio illa Innocentii expresse revocatur. Quamvis autem Innocentius afferat verba Scripturæ ibi citata, ad ostendendum illam declarationem esse consentaneam rationi, et divinis litteris, et ideo potuisse tunc convenienter dari, non tamen ostendunt ita esse necessariam illam limitationem, ut privilegium, cum majori amplitudine concessum, divino juri aut Scripturæ contrarium esse appareat; nam eadem Scriptura, quæ dicit: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei,* dicit: *Probate spiritus an ex Deo sint,* et

quæ dicit: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas,* consulit ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat. Cum ergo privilegium non ordinetur ad impediendam libertatem et efficaciam illius vocationis, quæ vere est a divino spiritu, sed ad probandam vocationem, ut ea, quæ est a Spiritu Sancto, constanter retineatur, nulla est repugnantia inter hoc privilegium, et privatam legem, quam Spiritus Sanctus per suam inspirationem imponere solet, ut in simili sensu idem Innocentius, in cap. *Nisi cum pridem,* de Renuntiatione.

13. *Ad primum membrum dilemmatis ibid. positi.*— Unde ad rationem ibi factam respondemus, in utroque membro dilemmatis inveniri differentiam inter jus commune et hoc privilegium; nam in priori posset contingere, ut Prælatum prudenter negaret licentiam transeundi, non propter dubium de majori perfectione alterius religionis, sed propter circumstantias personæ, quia vel non putat esse aptam ad illud institutum, vel tunc non moveri bono spiritu, sed turbatione aliqua, vel quid simile, et nihilominus ex vi juris communis posset tunc subditus transire licentia petita, et non oblenta, quia, si constat religionem, ad quam tendit, esse perfectiorem, hoc satis erat ex vi dicti cap. *Licet,* ubi solum requiritur judicium Superioris, quando de arcitudine majori alterius religionis dubitatur; nunc autem in simili casu nullo modo licebit transitus invito Superiore, hoc operante dicto privilegio. In posteriori etiam casu est differentia, quia Superior, indebite negans licentiam, ipso jure dicti cap. *Licet* privatur privilegio quoad hoc, ut non possit obligare subditum ad non transeundum, imo ut possit subditus sua auctoritate, et renuente Prælatum, transire. Posito autem hoc privilegio, etiamsi fingamus Prælatum indebite negare licentiam, quia nullum grave damnum suæ religionis rationabiliter timet, et certo scit aliam esse perfectiorem, et nihil habet cur judicet hanc personam non bono spiritu moveri, et nihilominus non vult permittere transitum ejus, subditus in hoc casu non potest sua auctoritate transire, sed indiget Pontificia, nec Prælatum ipso facto amittit potestatem obligandi, et retinendi illum, donec per Pontificem privetur.

14. *An religio ob relaxationem amittat privilegium.*— Posset autem hic non immerito dubitari, si religio, cui hoc privilegium concessum est, multum a sua observantia declinet, censenda sit amittere tale privilegium